



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXIII. De Voto jejunandi in præcipuis Festis Domini nostri Jesu  
Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XXIII.

*De voto jejunandi in præcipuis festis Domini Nostri  
JESU Christi.*

**S**Empronius ad initium anni votò promittit, se in præcipuis festis, Nativitatis scilicet, Paschæ, & Pentecostes jejunaturum esse.

Quæritur: Utrùm hoc votum fuerit validum.

### Synopsis.

1. Rationes pro hujus voti nullitate afferuntur.
2. Suffragatur etiam autoritas S. Thomæ Aquinatis.
3. Favere videtur etiam cap. si quis tanquam: & alia.
4. Dominica dies instituta fuit in memoriam Resurrectionis Domini Nostri.
5. Talis jejunans accommodat se hæreticis.
6. Afferuntur Authores oppositum sentientes.

7. Honestas talis jejunii probatur ex cap. finali: de jejunio.

8. Nec non à praxi quorundam Religiosorum, à carne tunc abstinendum.

9. Tale votum habet omnia ad valorem suum requisita.

10. Est etiam opus sanctum.

11. Licitæ quoque tunc sunt aliæ corporis mortificationes.

12. 13. 14. Satisfit adversariorum rationibus.

15. Et confirmatur sententia affirmativa exemplis Eremitarum.

**P**RO nullitate hujus voti faciunt sequentes rationes: die Dominica ob lætitiâ Ecclesiæ non est licitum jejunium: ergo multò minùs in memoratis festis. Antecedens tenent Tertullianus in lib. 1. de corona militis,

F f 3

ubi

ubi ait: *Die Dominica jejunare nefas dicimus. Sanctus Ambrosius in Epist. 83. Dominicâ jejunare non possumus. Sanctus Hilarius præfatione in Psalmos: Hæc Sabbathæ Sabbathorum ea ab Apostolis Religione celebrata sunt, ut his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque jejuniis festivitatem spiritualis hujus beatitudinis impediret: quod ipsum etiam in diebus Dominicis est constitutum. Sanctus Epiphanius etiam in compendiaria doctrina: Inconsentaneum est in Dominica jejunare. Item expressè habet: neque in die Epiphaniarum, hoc est, Apparitionis, & Adventûs, quando natus est in carne Dominus, jejunare licet, etiamsi contingat, ut sit quarta, aut prosabbatum. Similia legi possunt apud Hieronymum in Epist. ad Lucinium, Beticum in Epist. ad Marcellum contra Montanum: & in epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis, apud Augustinum in epist. 86. ad Cassilianum, apud Leonem in epist. 91. ad Turbium.*

<sup>2</sup> Antiquissimis his Patribus accedit D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 5. ad 3. propter quod (scilicet dies lætitiæ) non est jejunium ab Eccle-

sia institutum in toto tempore Paschali, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus, si jejunaret, contra consuetudinem populi Christiani, quæ, (ut Augustinus dicit) est pro lege habenda; vel etiam ex aliquo errore (sicut Manichæi jejunant, quasi necessarium tale jejunium judicantes) non esset à peccato immunis, quamvis ipsum jejunium secundum se consideratum, omni tempore sit laudabile: secundum quod Hieronymus dicit ad Lucinium: utinam omni tempore jejunare possimus. Angelio adhæret Cajetanus hic q. 93. art. 3. Clavis Regia lib. 4. cap. 4. n. 2. Suarez lib. 3. de voto cap. 6. n. 21. versu dices.

Permoti hi Authores probabilissimè ad hoc affirmandum fuerunt ex cap. si quis tanquam. & cap. Sacerdos, 26. q. 6. & cap. ne quis jejunet: de consecrat. dist. 3. Item can. post Pascha, 10. dist. 76. Can. placuit. 8. Can. ne quis. 14. dist. 3. de consecrat. & can. Quadragesima. 15. dist. 5. de consecrat.

His omnibus textibus vetitum fuit jejunium die Dominica. Autoritati Canonum accedit ratio: cum enim dies Dominica acceperit suum nomen ex memoria Resurrectionis Domini, hinc

hinc concepta ex istius memoria lætitia exoptulat, ne festiva tanti diei lætitia squallore macerantium, & affligentium se jejunio deturpetur.

Secundò: Ecclesiæ semper arriiserunt, quæ hæreticorum praxi contraria fuerunt, ne istis in aliquo videatur communicare: cum igitur Manichæi ex errore, Arriani verò ex contemptu jejunaverint diebus Dominicis, ne horum errorem approbasse censeatur, meritissimo jure suos fideles obligat, ne diem Dominicum macerationi nostrorum corporum destinemus.

Hactenus audivimus unius sententiæ rationes, suo probabilitatis pondere nequaquam destitutas, oppositam tamen defendunt Bonacina *disp. 4. q. 4. §. 5.* Sanchez *in opere morali l. 2. cap. 27. n. 12.* Lessius *lib. 4. c. 2. dubit. 9. n. 68.* Valentia *22. dispur. 9. q. 2 pu. 4. dub. 2.* Azor. *1. part. l. 7. cap. 26. questimo ultimo.* Joan. Madina *q. 10. de jejunio.* Navarrus *in manuali c. 21. n. 27.* Diana *tract. 16. §. 6.* Misellænear. *resol. 50. V. notandum: ad finem.* Sylvest. *in summa verbo jejunium. §. 6.* asserens, non pec-

caturum, qui jejunaret jejunio exultationis ad sanitatem, ad studium, vel ad mortificationem corporis non differibilem propter præsentem corporis petulantiam. Layman. *l. 4. tract. 8. cap. 2. n. 9.* citans pro se Bellarminum *lib. 2. de operibus bonis. c. 32.* Jacobus Wiestner *tit. 46. l. 3. num. 22.*

Pro rationibus suæ sententiæ afferunt cap. finale: *de jejunio.* in quo Pontifex, ubi dispensasset circa abstinentiam à carne feriis sextis, si in istas incidat Natalis Domini, hæc subjungit: *Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.* ex quo ita argumentantur: sicuti die Dominica ob memoriam Resurrectionis Domini lætatur Ecclesia: ita etiam lætatur ob illius Nativitatem memorato die: præterea sicut jejunium est institutum ordinariè ad lugendum & macerandum corpus, ita abstinentia à carne etiam præscindendo à jejunio in similem finem fuerat instituta feriis sextis & Sabbathis: ergo si non obstante hoc toto non reprehendendi, qui ob devotionem voluerint abstinere à carnibus die Nativitatis,

tatis, ita neque reprehendendi erunt, qui ex devotione privata omnino jejunaverint.

8 Confirmatur: de facto in quibusdam Regularibus abstinencia à carnibus ejusmodi diebus ab omnibus approbatur: ergo etiam saltem privata devotione hodie jejunium observari potest, quia tam abstinencia à carnibus, quam ipsum jejunium per se ac communiter ordinatur ad macerationem corporis, ad testandum licitum &c. ergo si prior est licita, illicita non erit posterior.

9 Probatur 2. Si edens votum jejunandi die Nativitatis, vel die Dominica, non obligaretur ad jejunium, emissum hoc votum necessariò esset nullum, atque invalidum; sed hoc non est: probatur minor: tale votum habet omnia requisita ad validum votum: ergo non est invalidum. Probatur antecedens votum debet esse promissio Deo facta de meliore bono; sed est: si enim aliquid deesset, foret hoc, quòd non sit de meliore bono, sed est: scilicet de jejunio, quòd utique est melius bonum, quam oppositum, seu ipsa negatio jejunii, & comestio carniùm.

Confirmatur: est innegabile, 10 quòd jejunium sit opus sanctum: sed opus sanctum etiam die Dominica potest exerceri: ergo.

Confirmatur 2. Nemo negat, quòd etiam die Nativitatis, vel alia Dominica licitæ sint privata mortificationes, affligere scilicet suum corpus ciliciis, disciplinis: ergo etiam licebit jejunare.

Ad hanc rationem responde- 12 bunt adversarii cum distinctione: Jejunium secundum se, & in alio die, quam Dominicis factum est melius bonum, quam oppositum, concedo: factum etiam die Dominico neg, sed contra est: si jejunium licet in se bonum melius, non foret tale, si incidat in diem Dominicum; tunc hoc fieret ob rationes pro sententia opposita allatas: sed ob nullam harum cessat, esse melius bonum: non primum ob prohibitionem scilicet Canonum, cum isti fuerint aboliti & sublati: cessante enim causa, quæ est anima legis, cessat pariter effectus, seu obligatio legis: sed hæc causa cessavit. Probatur minor: causa fuit, ne Catholici viderentur participare cum erro-

errore Manichæorum & Ari-  
norum : item ut cum ipsa con-  
traria praxi Ecclesiæ istorum er-  
ror refutaretur : sed hæc fuerunt  
sublata unà cum ipsis hæreticis :  
ergo &c.

13 Nec mirum atque novum es-  
se solet, ut ob recenter exortas  
hæreses nova statuta Ecclesia faci-  
at ; moderno enim tempore  
ob hæreticos, qui asserunt sub  
utraque specie seorsim accepta  
non adesse totum Christum, &  
ob hanc causam etiam calicem  
laicis præhendendum esse, prohi-  
bit Ecclesia, ne laicis usus ca-  
licis antea tamen concessus præ-  
beretur ; quod ipsum etiam tem-  
pore Apostolorum quoque con-  
tingit, qui de suffocato comedere  
fidelibus illius temporis pro-  
hibuerunt.

14 Neque obest 3. Quòd die  
Dominica ob memoriam resur-  
gentis Christi lætandum potiùs,  
quàm lugendum sit, hoc ipso  
enim, quòd juxta Authores eti-

am jejunium exultationis detur,  
idque ob varios alios fines, non  
solum ad macerandum corpus  
assumi possit, ex eo præcisè,  
quòd aliquis jejunet, non po-  
test statim inferri, quòd impor-  
tunum in gaudio luctum occi-  
nat, cum ordinari possit ad  
proprium profectum spiritualement  
per edomationem carnis obti-  
nendum : ergo remoto scanda-  
lo, alio peccaminoso fine ex  
nulla parte apparet aliqua inho-  
nestas in tali jejunio.

Confirmantur hæc omnia ex-  
emplis plurimorum Eremitarum,  
qui prout constat ex vitis Pa-  
trum diebus Dominicis jejunâ-  
runt : ergo tale jejunium licebit  
modò ex nullo contemptu mo-  
ris Ecclesiastici, errore, & cum  
scandalo peragatur : quòd si ali-  
quis ex fine quodam pravo vel  
superstitioso similia vota conci-  
peret, superfluo tali cultu pec-  
caret, juxta communem tamen  
solum venialiter.



Gg

Ca-